



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1719. usque ad annum 1720


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648


Benevole Lector!

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67659)



Benevole Lector!

Volat per Urbem, nec infirmo testimonio, rumor, sub prælo sudare reflexiones quasdam ad meam Historiæ Fleurianæ continuationem. Ferunt Auctorem esse M. M. Ex - Jesuitam quemdam, idque ut crederem, facillime adducor; jam enim Anno 1776. præluserat alius ejusdem Instituti Vir F. X. V. qui missa ad Bibliopolam meum scheda invenit, quæ in mea carperet Historia: cum autem multa diceret, probaret nihil, & aliunde nimis aperte Ciceronem pro domo sua ageret, tum operosius illa confutare, haud operæ pretium duxi. Paris etiam meriti querelas apud Viros & mulieres Societati devotas contra meas lucubrationes pleno alveo effundi, non raro intellexeram: Insuper novissime, & quidem anni evoluti Mense



Novembri ex Augustanis Studiosis nonnulli, an sponte sua, vel aliorum impulsu, nescio, in quadam popina jaëtanter buccinabant (*), Ex-Jesuitas contra P. Alexandrum suos aciere calamos, & proxime ejus Historiam acrilixivio depexam reddituros. Has quidem minas ad thraëonicos jocos intra pocula usitatos rejeci, & querelas fæminis, necnon convitia rudibus permisi. Nunc vero justæ molis volumen, haud ignobilis ingenii strigmentum, maturumque, utpote novem mensium, fætum reipsa in lucem contra me edi admoneor. Quænam illa sint, quæ illius Parens minus ad saporem suum coëta, proin publice castiganda judicaverit, equidem ignoro: cum vero præter Tribum Jesuiticam nemo hucusque meas lucubrations ad suum tribunal citaverit, hoc opus
haud

(*) Sie haben geblasen.



haud aliud futurum suspicor, quam recoctam centies cramben, veteresque nenas de laxiore doctrina, probabilismo, V. Palafoxii epistola, Historia Serriana, & alia ejusmodi.

Hæc si Auctor recoxerit, cum jam dudum solide demonstrata sint, nil aliud efficiet, nisi ut sibi in vanum laboranti, cussamque, cujus Patronum agit, ex mala pejorem facienti commiserationem conciliaverit. Si vero a me minus vere, vel injuriose scripta in medium protulerit, salva veritate historica *parati sumus* (ausim declarare cum D. Augustino (*)) *corrigi, si fraterne & recte reprehendimur, parati etiam, si ab inimico, verum tamen dicente, mordemur*: Hæc tamen ipsa animi mei docilitas non prohibet, quominus naturalis juris indulto utar, & si quæ fors per calumniam imputata, injuriosa, falsa, nimisque aculeato calamo adversus me scripta forent, ejusmodi tela

(*) Lib. 2. de Trinit. cap. 9.



jugulo meo injuste intentata repellam, ac retundam, *qui enim non repellit a Socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit (*)* honor enim & veritas jure deposcunt, ne indefensa ab una parte damnentur.

De his Te, erudite Lector, præmonitum volui, sique fors expectatione tua tardior esset proximi tomi mei editio, brevem hanc moram abunde compensatam reputa vel hallucinationum, si quæ in prioribus irrepsissent, (Et quis non humana patitur?) correctione, vel veritatis historicæ, quæ temere impugnatur, defensione; ea enim *vis est veritatis, ut cum per se intelligi non possit, per ea, quæ ei adversantur, eluceat (**)*. Vale igitur, & qualibuscunque conatibus meis fave.

CON-

(*) Cap. non in inferendo XXIII. q. 3.

(**) S. Hilarius l. 7. de Trinit.